

Q. F. S. F. Q.

FOEDUS  
SALOMONIS  
Et  
HIRAMI

Leviter adumbratum,

*Permissu Celeberr. Senat. Philosophici in  
Regia Academia Aboënsi,*

PRÆSIDE

ISAACO BJÖRN RYND/

Sacr. LL. Professore Ordinario,

*Publico honorum examini modeste  
exponit*

JOHANNES CAR. HACKS

*Satagunda Fenno,*

Ad diem D. V. 15. Decembris 1732.

*Loco horisque consuetis*

---

ABOÆ, Excud. R. Ac. Typ. Joh. Kiärrpe-

S:æ R:æ M:it̃is  
Magnæ Fidei VIRO,  
Per Provinciam Nyslott - Kymmenegardensem, nec non partem Careliæ,  
GUBERNATORI  
Præcellentissimo,  
*Perillustri atque Generosissimo BARONI  
ac DOMINO,*

D<sup>N</sup>. JOHANNI  
HENR.  
FRISENHEIM,  
MÆCENATI MAXIMO.

*Q*uanta, Te.  
*Gratissime. Domine. Gubernator.*  
In  
*Reipublicæ. Usus. Emolumentum. Decus.*  
*Propitia. Fata. Ornarunt.*  
*Dignitate. Honore. Præmiis.*  
*Pro. Summis. In. Patriam. Meritis.*  
Quam-

S:æ R:æ Mtis

Magnæ Fidei VIRO,

Legionis Pedestris Ostrobotnicæ Chili-

archæ Eminentissimo,

PRÆSIDIO Friedrichshamniano Præfe-

cto Strenuissimo,

*Perillustri atque Generosissimo* COMMITÆ

*ac DOMINO,*

**D<sub>N</sub>. GUSTAVO**

**CREUTZ,**

**MÆCENATI MAXIMO.**

**I***mpar. Quidem. Sum.*

*Ut. Ad. Aras.*

*Tam. Celso. Comiti.*

*Tam. Inclute. Duci.*

*Tam. Strenuo. Martis. Viro.*

*Consecratis. Accedam.*

*Et.*

*Tam.*

*Quanta. Auctoritate.  
Quantis. Hodie. In. Finibus. Regni.  
Rerum. Gerendarum. Auspiciis.*

*Tanta.*

*Præter. Omnis. Generis. Virtutem.  
Et. Magnas. Ceteroquin. Animi. Dotes.  
Te.*

*Natura. Decoravit. Humanitate.*

*Ad. Singulos.*

*Comiter. Et. Benigne.*

*Excipiendos. Fovendos.*

*Ut. Etiam. Ego. Eisdem. Pretus.*

*Rudem. Ingenii. Mei. Fetum.*

*In. Sinum. Tue. Gratie.*

*Transmittere. Sustinuerim.*

*Humillimo. Voto.*

*Patiaris. Hunc. Exilem. Advenam.*

*Ad. Tanti. Mæcenatis. Aras. Adrepentem.*

*Splendoris. Tui. Radiis. Illuminari.*

*Ego.*

*Quæcumque. Tanti. Viri. Vota. Sunt.*

*Toto. Pectore. Adprecor.*

*Perillustris atque Generosissimi Nominis*

*Tui.*

*Humillimus servus*

*Joh. Car. Hack-*

Tam. Illustri. Vultui.  
Tantis. Curis.  
Tantis. Negotiis. Publicis.  
Occupato,  
Subjiciam. Hoc. Opusculum.  
Tenuissimum. Levissimum.  
Heroicis. Tamen. Tuis. Virtutibus.  
Et. Illustri.  
In. Alios. Nostra Militie. Adscriptos.  
Favore. Inductus.  
Hoc. Facere. Ausus. Sum.  
Devotis. Vovens. Suspiriis.  
Tuae. Celsitudini.  
Salutem. Et. Incolumitatem. Perennem.  
In. Dei. Gloriam.  
Regis. Et. Regni.  
Ministerium. Porro. Utilissimum.  
Illustrissima. Tua. Familia  
Et. Bonorum. Omnium.  
Fulcrum. Longe. Maximum.  
Perillustri atque Generosissimi  
Nominis Tui.

Humillimus servus  
Joh. Car. Hacks.

*VIRO Nobilissimo;*  
Dn. HAQVINO  
RHODE,

Ad primariam Regiam Dimacharum  
Legionem,  
Censurioni maxime strenuo, Domino  
& Patrono Benignissimo.

**I***nclate Vir meritis, cui dant praecordia  
laudum  
Et Mars & Musae: devoti ex pectoris imis,  
Quod me multigeni fovet haecenus aura  
favoris,  
Hanc tenuem sisto voto Tibi supplice char-  
tam:  
Ut vigeas quovis successu, tempore longo,  
Ausibus & faveas devota mente profectis.*

Nobilissimi Nominis Tui.

*Devotus cultor*  
Joh. Car. Hacks.

VIRO Admodum Rever. acque Amplissimo,

Dn. CAROLO  
WALLENIO,

Ecclesiarum, quæ Deo in Wesilax col-  
liguntur, Pastori longe meritissimo, vi-  
cini districtus Præposito gravissimo, Eu-  
ergetæ insigni, & Patrono ad cineres  
usque omni honoris & obsequii cultum  
suspiciendo.

**C**Hartula quid referas, nescis subitu-  
ra Penates  
Almos, quod talis nituit tibi gratia sem-  
per.

Debita jam parvi confer libamina thuris,  
Et benefacta tuo colito suffimine multa.  
Hinc Vir clare, precor, jam respice fron-  
te serena,

Quæ Tibi pro meritis gratis, mens grata  
rependit.

Admodum Reverendæ Tuæ Dignitatis

Devotus cultor  
Joh. Car. Hacke.

*Viro Amplissimo atque Conspicuo,*  
**Dn. DIETERICO WALTER,**  
Commissario Militari longe dexterrimo,  
Nutritio non ita pridem indulgentissimo,  
Fautori & Evergetæ ætatem colendo.

*Plurimum Reverendo atq; Clarissimo VIRO,*  
**D.M. CAR. GUST. WERANDER,**  
Legionis Pedestris Ostrobotnicæ Pastori  
meritissimo, Fautori reverenter habendo.

*Speſtatiffime Dignitatis VIRO,*  
**Dn. JACOBO GADD,**  
Prætori in Satagunda Superiori pervi-  
gili, Fautori non uno nomine cele-  
bratissimo,

*VIRO Perquam Reverendo atq; Doctissimo,*  
**Dn. JOSEPHO WALLENIO,**  
Sacellano in Totkijervi vigilantissimo,  
Fautori & Amico singulari, grata men-  
te honorando.

**P***rimitiæ hæc in observantiffimi  
sacras  
Auctori &*



*Viro Amplissimo atque Conspicuo,*  
Dn. JOHANNI HACKS,

Majorum urbis Aboënsis Vectigalium  
Maritimorum Inspectori accuratissimo,  
ut Patrono optimo, ita Avi loco æter-  
num venerando.

*Plurimum Reverendo atq; Doctissimo VIRO,*  
Dn. JOHANNI ROTHOVIO,  
Pastori Ikalensium dignissimo, Fautori  
omni observantia perpetim afficiendo.

*VIRO Perquam Reverendo atque Doctissimo*  
Dn. DANIELI TALLQVIST,  
Concionatori Legionis Ped- stris Ostro-  
botnicæ Laudatissimo, Affini hono-  
ratissimo.

*VIRO Spectabili,*

Dn. JACOBO COLLIN,


Civi & Mercatori Aboënsi prudentissi-  
mo, ob consanguinitatem & varia bene-  
ficia multum amando.

*Et gratissimi animi testificationem*  
*nuncupat,*

*Respondens.*

## Conspicuum.

- §. I. *Viam ad institutum sternit.*
- §. II. *Etymon & significationem fœderis exponit.*
- §. III. *Subiecta fœdus pangentia leviter tangit.*
- §. IV. & V. *Causam fœderis hujus adducunt; & de artifice Hiram, ne non expeditione Ophirica quedam tractant.*
- §. VI. *Sententias de urbibus ab Hiram Salomoni redditis recenset, & verosimilimam monstrat.*
- §. VII. *An Salomoni cum Hiram fœdus percutere, lege divina positiva indultum fuerit, disquirat.*
- §. VIII. *De Moralitate fœderis hujus ex naturali jure agit.*
- §. IX. *Nonnulla de fœderibus inter populos diverse religionis addit.*
- §. X. *Ritus in fœdere sanciendo olim adhibitos, nec non pœnam fœdisfragis irrogatam commemorat.*
- §. XI. *Colophonem dissertatiuncule imponit.*



Deo Duce,

§. I.

**Q**UAM sustinent mortales *egeſtas*, quave laborant *impotentia* sine sui similium auxilio se conſervandi, injunxerunt omni ætate ſingulis, immo potentiffimis, ut mutuam opem expoſcerent, qua egeſtatem ſuam ſublevatum irent, & rebus ſuis alioquin magno discrimine nutantibus ſubvenirent. Unde viciffim quilibet, ubi ſine magno diſpendio aut periculo poſſit, ex communi ſocialitatis lege, ob cognationem

nem illam, quam homines inter natura constituit, aliorum commodis inservire debet. Quandoquidem, ut dicit Lactantius, *Deus hominibus, quos nudos & fragiles formavit, præter cetera dedit hunc pietatis affectum, ut homo hominem tueatur, diligat, foveat, contraque omnia pericula & accipiat & præstet auxilium.* Paucis tamen ea est ingenii bonitas, (a) ut omnia, quibus aliis utilitatem afferre possunt, ex sola obligatione imperfecta exhibere velint, nisi aliter cautum sit, ne paria paribus referri negligentur. Igitur ut homines de votorum successu eo certiores fierent, necessum fuit eos inter se convenire super ejusmodi rebus invicem præstandis, adeoque in antecessum determinare, quid alteri quis præstare debeat, & quid ab eodem

rur-

(a) *Puff. I. N. & G. l. 3. c. 4. §. 1.*

3  
vultus postulare, & quasi debi-  
tum imperiose poscere queat.  
Quod in majorem rei expectan-  
dæ fidem, omni humanæ vitæ  
parte, conventionibus & fœde-  
ribus gentes stabilitum ivere.  
Hæc enim imponunt nobis solu-  
tionem promissi, & lubricam  
ambiguanque alias fidem arcti-  
us obstringunt. Ex quibus de-  
nique tantum in societatem re-  
sultat boni, ut pæne eadem ci-  
vitatatis ac reipublicæ fulcra &  
columnas appellare auserim. Ha-  
bita namque ratione temporum  
tam remotissimorum, quam re-  
centiorum, nihil unquam depre-  
hendes exoptatius, nihil carius,  
nihil antiquius fuisse societati-  
bus, quam ut fœdus & amicitia-  
m cum aliis stabilirent. *Ami-  
citia enim, teste Cic. est dux vite  
perfecte, anima societatis, custos  
tranquillitatis, & presidium reipu-*

*blica.* Ideoque primis jam in mundi incunabulis, cum tanta se exsereret hominum perversitas ad alios quovis modo lædendum, tanta ad se invicem lacesendum torquendumq; proclivitas, ut non satis de mutua securitate cautum esset: haud inepte colligitur, homines, quo certius in tuto collocarentur, mutuo fœdere se obligasse ad impendentia illa sæpiusque ab hostibus intentata mala pro virili arcenda. Nam singula, quanta quanta terrarum regna, huic tanquam firmo inixa incumbunt fulcro. Hoc inservit non modo ad depellendam vim hostium; sed & ad levandam non raro egestatem aliquam domesticam. Quis opibus & potentia præ Salomone fulgebat? quarundam tamen rerum defectum apud ipsum quoq; reperies. Quam penuriam fœdere



5  
& amicitia Hiramī, regis Tyrii,  
statim sublevatum ivit. Hac de  
re cum exercitium quoddam  
publici juris facere constituerim,  
majorem in modum abs Te, Be-  
nigne Lector, contendo, velis  
juveniles meos conatus, pro sin-  
gulari tuo in cultores litterarum,  
quas forte & ipse colis, favore,  
æqui bonique consulere, & mi-  
tiore eosdem censura excipere.

§. II.

**E**T licet non ita notabili ob-  
scuritatis difficultate voca-  
bula, quæ inscriptio dissertatio-  
nis repræsentat, laborent, ut o-  
perosam aliquam eorundem ex-  
plicationem instituere necessum  
videatur: non tamen nos com-  
munem disputantibus aspernabi-  
mur consuetudinem; verum pau-  
cis *fœderis* etymologiam osten-  
demus. Plurimi Lexicographo-  
rum

rum illud a *fœdum* aut *fœdare* deducunt: quia has dictiones non solum de deformibus, vel pollutis & maculatis; sed etiam de vulneratis, quibus nihil fœdus, cum sanguis profluus ubertim ab iis manat, dici volunt. Ideoque fœdus hinc dictum esse statuunt, quia sine sanguine fœdera olim non feriebantur. Eo etiam quadrare videtur Hebræorum בְּרִית, a verbo בָּרַח derivatum, quod & *praedit*, *exscidit*, *succidit* significat: victimæ enim in paugendis fœderibus immolari & cædi solebant: uti inferius diceretur. Idem & Græcum fœderis nomen σπονδή, ἀπό τῆς σπένδω, a *libando*, *immolando*, *sacrificando* dictam, innuere videtur. Quod vero ad significationem fœderis attinet, famosiorum ejus acceptionem nostram facimus, quam definitio hæc nobis sistit: *Fœdus est mutua*



*integrarum gentium, seu summorum imperantium, pacis aut societatis causa certis conditionibus inita pactio: adhibitis firmamentis externis, ut pactum sit religiosum & inviolabile. Non quidem diffitendum est, foedus aliquando tam late accipi, ut quorumlibet conventiones mutuas & pacta valeat: intercedit tamen inter pacta & foedera strictiori usu hæc differentia, ut hæc intelligantur fieri ab integris gentibus, seu ab iis qui majestatem habent, super negotiis publicis (b); illa vero privatis tantum, super rebus privatis, usu veniant. Discrimen inter pacta, promissiones & contractus receptum nos aliis mittimus excutiendum.*

§. III.

**P**Ræmissa hac præliminari qua-  
licun-

(b) *Budd. Philos. pract. part. 2. c. 4. sect. 5. §. 7.*

licunque fœderis enucleatione, ubi nos ad uberiores ejusdem explicationem accingimus, pro ratione instituti, quandoquidem de singulari certarum personarum confœderatione agitur, de ipsis fœderatis, quos dissertariuncula hæc titulo præfert, nec non momentis ad horum fœdus spectantibus, in antecessum paucis nobis incumbit disquirere. Et priori quidem loco de *Salomone*, viro illo pacis, non necessarium videtur, ut adeo simus solliciti, cum etiam vulgo inter nos notum sit, eum fuisse Davidis a Bathseba filium 2. Sam. 12: 24, cui constituenta Deo, qui omnibus imperii ejus diebus, pacem & quietem Israël circumcirea concessurus erat, nomen hoc inditum est, 1. Chron. 22: 9. Qui præterea *Lemuelis* nomine insignis reperitur, Prov. 31: 1, quod

ei haud sine mente & ratione matrem impoluisse colligitur: significat enim, qui Dei est, vel ad Deum pertinet tanquam peculium ejus. Idem a Propheta Nathane *ledidix*, h. e. dilectus Domino, propter Dominum, cui valde gratus & dilectus fuit, Neh. 13: 26. vocatus est. Instituendi enim ejus cura Nathani demandata fuit, 1. Sam. cit. qui procul omni dubio, juxta patrem ac matrem, conf. Prov. 4: 4. & 31: 1. summo studio in id incumbibat, ut in primis legis Mosaicæ notitia, moribusque principe dignis, & aliis honestis quam optime imbueretur disciplinis: quoad imperio populi Dei admovendus, Davide tenio confecto, inunctus, faustis populi adclamationibus sollemni formula rex salutatus fuit, princeps sapientiæ gloria longe celeberrimus: uti fusius rei gestæ series narratur 1. Regum 1. & seqq.

*Hiram* vero fœderati Salomonis, ortus & natales cum multis obtegantur sententiarum involucribus, in tanta illarum diversitate arduum plane est satisfacere omnium placitis. Præ omnibus ergo elegimus testimonium, quod & præter alios celeberr. Schotanus (c) amplectitur, scriptoris antiqui *Flavii Josephi* (d), qui ex vetustiorum monumentis asserit Hiramum, cui cum Davide pariter ac Salomone amicitia intercessit, filium fuisse Abibali regis Tyrii. Nihil impedit, quod multi perhibent improbabile esse, Hiramum, qui Davidi ligna cedrina & opifices ad extruendam domum misit, vixisse usque ad tempora Salomonis: illum vero fuisse patrem hujus Hiram, qui

Salo-

(c) *Biblioth. hist. sacræ V. T. Tom. 2. p. m. 776.* (d) *contra, apion. l. 1. p. m. 827.*

Salomoni ligna fabrosque lignarios & lapidarios subministravit, probare student, nulla habita ratione temporum, quæ Josephus (e) tradit. His enim existimat, anno undecimo regni Hiram prima factauisse initia condendi templi Hierosolymitani; quod quarto anno regni Salomonis factum esse constat ex 2 Chron. 3: 2. Initium itaque Hiram sic incidet in annum tricesimum tertium Davidis; & initium regni Salomonis in annum septimum vel octavum Hiram (f); adeo ut fidem non superet, eundem utrique Israëlitarum regi ἀνύχουρον fuisse & fœderatum. Sed quid opus conjectura? sacris enim testimoniis res extra omne videtur dubium collocari. Namque

(e) *Antiquis. Iud. l. 8. c. 2. p. m. 207.* (f) *Bud. hist. Eccles. V, I. period. 2. Sect. 3. p. 254.*

que ex 1. Reg. 5: 1. clare videtur, eundem Hiramum Davidis ac Salomonis ambiisse amicitiam. Immo non amicitiam tantum & fœdus cum Davide, sed & ligna ab eodem in usum Davidis suppeditata, Hiramus suo Salomo in memoriam revocat, 2. Chron. 2: 3.

#### §. IV.

**Q**Vandoquidem Salomoni jam ante nativitatem a Domino destinata fuit ædificatio templi Hierosolymitani: David itaque, cum opera ipsius, prompta alioquin & alacris, ob frequentes bellorum turbas, & copiam fusi sanguinis humani, in typum rei Domino non visa esset idonea; senio fractus & moriturus, Salomoni filio suo, in quem & imperium vivus transtulit, ut viro pacifico, idem negoti-



gotium commisit: juxtaque ei tradidit exemplar & descriptionem ædis, omniumque ad eam pertinentiū, quæ ipse mente conceperat, secundum formam divinitus sibi pridem oblatam, 1. Chron. 28: 19. Salomo itaque susceptis regni habenis, sollicitus de structura templi, & usas occasione legationis, quæ Hiramus ex cara Davidis, intime sibi conjuncti, memoria, etiam Salomoni filio haud degeneri recens inaugurato de felici gratulatus esset successu, legatos ad eundem regem Tyri misit, qui ab eo necessaria ad constructionem vasti illius ædificii, siquidem materies domi non suppetebat, utpote ligna cedrorum & abietum e Libano, contenderent, juxtaque mutua cum suis servis in cædendis lignis aptandisque lapidibus, expeterent auxilia. Hiramus vicissim

enim non! annuit modo huic  
 petitioni Salomonis, sed operam  
 suam insuper pollicitus est ad  
 ligna in Libano defecta & præ-  
 parata ratibus per mare trans-  
 vehenda ad urbem: יָפֶן seu *Jop-  
 pen*. Sita est hæc in sinu maris  
 mediterranei, celeberrimo por-  
 tu instructa, quo nullus Hiero-  
 solymæ propior: diciturque ho-  
 die *Jassa*, ob felicem navium  
 stationem adhuc satis nota, quo  
 appellere solent, qui ex Europa  
 commercii vel sepulcri Christi  
 visendi gratia Hierosolymam pro-  
 ficiscuntur. Hanc, inquam, ope-  
 ram Hiramus haud invitus obtu-  
 lit, in vicem stipulatus, ut Salo-  
 mo alimentum operariis submi-  
 nistraret. Hic ergo voto obse-  
 cundans, non modo ministris  
 Hiramii, ligna in Libano exci-  
 dentibus, ingentem copiam tri-  
 tici & hordei, nec non vini olei-  
 que



que sese subvecturum: sed & aulae Tyrriorum regiae alenda: vicies mille coros tritici, & viginti coros olei contusi, singulis annis, quibus opus in monte Libano continuaretur, impertiturum spondit. Cumque ita in conditiones utrinque propositas ultro descendissent, de pace perpetua convenere, foedusque sollemni testificatione invicem pepere.

## §. V.

**P**Ræcipuam vero hujus foederis causam, quandoquidem mons Libanus fuit tam ditionis Salomoneæ, quam Hiramii, hanc fuisse facile concesseris, quod Judæos deficiebant viri periti excindendarum & præparandarum procerarum ac durabilium Libani arborum: quibus contra Tyrii abundabant. Tales ergo Salo-

Salomo necessum habuit ab Hiramō expetere: juxtaque virum gnavum & egregium in auro, argento, ære, coccino, purpuraque artificem; qui etiam formas in lapidibus exprimere, cælaturasque sculperē sciret. Quā in re Hiramus Salomoni satisfacere studens, misit itidem virum in omni genere artificem peritū, nomine *Hiram Abiro*, filium mulieris e filiabus Dan, cujus pater fuit vir Tyrius, 2 Chron. 2: 12. Verum 1, Reg. 7: 14, scribitur fuisse mulieris viduæ filius e tribu Nephtalim. Non quod inter duo isthæc loca contradiçtio sit fingenda, quæ *Hieronymus* apud *Schotanium* (g) ita conciliari posse existimat: quod pater ejus fuerit de tribu Nephtalim: quo mortuo uxor ejus e tribu Danis oriunda, quæ 1. Reg. cit.

mu-

(g) *Biblioth. hist. Sacr. Tom. 2. p. 775.*

mulier vidua appellatur, eundem Hiramum miserit Tyrum discendi gratia, & eo quod artem didicerit Tyri, patrem Tyrium appellari. Simplicius loca ipsa sese expediunt. Namque in Paralipomenis mater dicitur Danitis; in libro autem Regum non ipse Hiram filius Nephtalites, ratione generationis paternæ. Pater quidem hujus perhibetur *vir fuisse Tyrius*, non ratione *originis*, quam ex Nephtalimo, ut filius, trahebat; sed ratione *habitationis*, uti Obededom Levita dicitur Gittæus, quia in Gath habitaverat, 1. Chron. 13: 13. Uni enim homini variæ possunt esse patriæ, *nativitatis, educationis & conversationis*: quemadmodum observavit celeberr. Rambachius (b). Judæos enim præcipue extra patriam

B

ar-

(b) *in uberioribus adnot. in 1. Chron. 2: v. 17.*

artes hujuscemodi mechanicas ediscere oportuit, quippe qui intra patrios lares rem potissimum pecuariam facere, arvoque studere didicerunt. Tyrii vero, qui in rupe sua citra opificiorum commerciorumque exercitium, nullo modo victum sibi necessarium acquirere poterant, artificibus quibusvis præ ceteris maxime eminebant. Tyrus namque, quæ Hebræis  $\gamma\alpha\varsigma$  h. e. rupes appellatur, in rupe mari mediterraneo objecta, fuit ædificata, fluctibusque ex alto, quum angusto freto a continente discluderetur (i), undique alluebatur. Ideoque gens commerciis dedita, multaque rei nauticæ peritia, incluta fuisse deprehenditur: adeo ut multa maria velis tentando, ea pariter re vicinis gentibus excelleret. Quare

(i) *Curt. l. 4. c. 2. & 3.*

re etiam Salomo, amicitia Tyriorum inductus, foedere denuc commerciorum juvandorum gratia icto, in instruenda classe, quæ aurum lapidesque pretiosos, ne non simias & pavones, ligna almuggina, qualia nunquam in istis locis antea conspecta sunt in varios templi aulæque usus adveheret, operam cum Hiramio jungere consultum duxit. De qua navigatione Salomonis & Hiramii, cum fusc diu jam disputatum sit, non prolixiores in illa delineanda esse volumus, ne actum agere, crambemque sæpius appositam denuo obtrudere videamur. Hoc saltem dixisse sufficiat, expeditionem hanc ad Ophiram, ad tractum quendam Indiæ orientalis, forte ad finem Gangericum, factam videri, singulisque trienniis classem ad litus maris rubri, unde & solverat, adplicuisse onustam.

## §. VI.

**L**aboribus iis, ad quos perficiendos Hiram regis opera Salomoni necessaria fuit, consummatis, quo potuit cunque modo Salomo recte, ut vir æquus & sapiens, benevolentiam suam animumque gratum in Hiramum pro studio atque opera in paranda materie, testatum relinquere studuit. Ideoque præter vinum, oleum, hordeum, triticumque, quæ jam in ipso opere Libanino familiæ & ministris ejus, quemadmodum ex supra dictis patet, subministravit, viginti eum in Galilæa donavit urbibus. Hiramus vicissim declarando animum suum gratissimum ob tanta a Salomone sibi præstita beneficia & toties oblata munera, centum viginti talenta auri contulisse, immo dedisse Salomoni civitates legitur. De hac



hac mutua horum retributione cum varia existent commenta, dubiaque occurrant non levia; non gratiam a curiosis iniremus, si tam momentosam quæstionem, in qua solvenda multi haud exiguum navarunt operam, profundo involveremus silentio. Satis igitur duximus, collatis variis variorum hac de re traditionibus, verosimillimum ex omnibus eruere sensum, eundemque magis exasciato eruditorum examini subicere. Liquet namque ex 1. Reg. 9: 12. 13. postquam Hiramus perlustrasset urbes a Salomone sibi concessas, viles nimis illi visas fuisse: quas proinde rejecit, terramque *Chabul* nuncupavit. Ast 2. Chron. 8: v. 2. Hiramus Salomoni dedisse civitates legitur. Hac de re varie disceptatum est. *Seb. Schmidius* (k),  
vir

(k) ad 1. Reg. 9: 13.

vir insigniter doctus, donationem ipsam Salomonis Hiramno, liberalitatis gloriam in eo aptanti, quod nullum acceptasset pretium beneficentiæ, non lacuisse supponit. Ideoque non ab Hiramno, sed ab aliis plagam illam *terram Chabul* dictam, a  $\alpha$  compes, quod ea terra, quæ i amicitia indissolubili compelle nexuve duo hi reges, Salomno dando, Hiramus restituendo, sese devinxerint. Nonnulli, ut *Vatablus*, *Pineda* aliique apud *Schotanium* (1), permutationem quandam regibus his, præsertim ob loci vicinitatem, aliamve opportunitatem, intervenisse contendunt. Alii, ut *Josephus* (2), & qui eum sunt secuti, urbes quidem a Salomone datas, sed quod displicerent, ab Hiramno re-

(1) *libr. sep. cit. p. 792. & 793 (m)*  
*Antiquit. Jud. l. 8. c. 2. p. 214.*



pudiatas esse putant. Quidquid  
 hujus est, nimis longe a non-  
 nullis, conjectura nitentibus, pe-  
 titas esse rationes, nemo non vi-  
 det. Namque plane a sapien-  
 tia Salomonis alienum fuit, a  
 regno ceteroquin valde constri-  
 cto tot oppida in perpetuum a-  
 lienare, pro tam vili pretio, cui  
 forte annui ex viginti urbibus  
 redditus responderent. Quis etiam  
 imaginari velit, Hiramum in ci-  
 vitates sibi satis opportunas per-  
 petuum concessum imperium ab-  
 dicare, tamque opimam præ-  
 dam aspernari voluisse? cum sa-  
 tis pateat, imperium Tyrium  
 sequentibus temporibus, si vel  
 maxime initio non usquequaq;  
 exculti fertilisque fuissent soli, in-  
 comparabilem quæstum ex illis  
 capturum fuisse. Eorum igitur  
 sententia adquiescendum putave-  
 rimus, qui Salomonem urbes  
 has

has ad aliquot duntaxat annorum usum, loco quasi hypothecæ, Hiram dedisse dicunt, quoad sumtibus ejus, in mercenarios aliaque opera impensis, satisfactum esset. Cum vero hic ex oppidis, regioneque his interjacente, compediti, h. e. argillacei & infertilis soli, fructum utilitatemque ex voto intra statum tempus, annosque pactos se laturum esse non speraret, questus merito est, reddiditque easdem Salomoni civitates. Quas is filiis Israël tanquam colonis habitandas dedit, postquam ædificasset easdem communivissetq̄. Quod argumento est, illas eo usque a Cananæis fuisse habitatas, non ab Israëlitis. His enim si infestæ fuissent, Salomo easdem, ut peculium Dei, & tribus Israëliticæ sortem hereditariam, in fraudem ejusdem, & incolarum

a religione sua seducendorum periculum, sine crimine abalienare non potuisset. Hæ autem urbes limitaneæ sive a Davide, sive a Salomone sumptibus propriis imperio adjectæ, sive a socero rege Ægypti subactæ, postea vero in dotem filiaæ datæ fuisse videntur. Quamobrem etiam Salomoni eandem, citra violationem præcepti, sine consensu populi, alienandi facultas fuisset, quid dicam oppignerandi? velut Buddeus (\*) notavit. Et ita nos crimen sacrilegii ei objectum omnino diluimus.

### §. VII.

**A**ctibus iis, qui fœderatis nostris præcipue intercesserant, in quantum propositum nostrum ferirent, quadantenus ob-

(\*) *hist eccles. v. T. period. 2. sect. 4.*

observatis; jam nobis inquirendum est, num in Salomonis positum fuerit potestate, commiscere se cum Hiram, fœdusque cum illo ferire. Cujus nodi solutio non adeo facilis videtur, siquidem Deus expresso lanxerat edicto Exod. 23: 32. Deut. 7: 2. 3. Israëlitisque, qui essent populus altissimo Numini sacratus, in ejusque fœdus susceptus, severe interdixerat, cum aliis fœdus pangere gentibus. Periculum namque haud dubie fuit, ne ejusmodi fœdera detrimento essent futura cultui sacro, Israëlitisque facile mutua gentium conversatione seductura ad idololatriam, postquam Deo non unice confisi, exterorum amicitiam atque opera ambiissent. Verum interdictum hoc non adeo est strictum, ut nullam patiatur limitationem. Notum enim est

Josuam c. 9: v. 17. fœdus iniisse  
 cum Gibeonitis, pacemque ipsis  
 concessisse, citra ullam sibi aut  
 populo Israëlitico ideo inflictam  
 pœnam, ullamque a Deo ea pro-  
 pter factam exprobrationem: sed  
 ex adverso violationem ejus gra-  
 vi punitam esse vindicta, 2. Sam.  
 21. Potuissent namque Israëlitæ  
 etiam cum septem illis populis  
 Cananæis, Deut. 7: 1. & 20: 17.  
 juxtaque Amalekitis, Deut. 25:  
 19. recensitis, adversus quos ex  
 mandato divino bellum gerere  
 obligati fuere, his conditionibus  
 pacem facere, eandemque ser-  
 vare, si Israëlitarum imperio il-  
 li se submittere, & tributis sol-  
 vendis oneribusque servilibus sus-  
 cipiendis nomina dare voluissent.  
 Cum enim civitatem aliquam  
 obsidione cincturi, & contra eam  
 belligeraturi essent Israëlitæ, ad  
 fœdus seu deditionem bello indi-  
 cto

Etiam eam primum invitare debe-  
 bant : quæ si condiciones pacis  
 oblatas acceptaret, tributaria ni-  
 mirum esse, servitutem obsiden-  
 tium subire, & in septem præ-  
 ceptorum Noachidarum (o), ut  
 Hebræi addunt, aut accuratiorem  
 saltem juris omnium hominum  
 communis ac naturalis observa-  
 tionem consentire vellet; in fi-  
 dem ac gratiam recipienda erat,  
 Deut. 20: 11, ut nihil dicam de  
 urbibus, quæ non istarum gen-  
 tium, sed longius distitæ, fuere,  
 adversus quas si bellum aliis de  
 causis susceptum esset; ab his  
 multo magis deditioem ac fœ-  
 dus deposcere moniti fuere, eas-  
 demque pacem non recusantes  
 libenter amplexari: quanquam in  
 nonnullis, ut pœnæ vi subacto-  
 rum, ita condiciones sponte de-  
 ditorum differre potuere. Si i-  
 gi-

o) Seld. de J. N. & G. l. 6. c. 14.



gitur exortis inimicitiiis, & con-  
 flato jam bello, cum iis pacisci  
 licuit: quid n̄ cum manentibus  
 in amicitia, ad cavendas discor-  
 dias, & juvanda mutua & ne-  
 cessaria inter vicinos populos of-  
 ficia, fœdus icere fuit concessum?  
 Arbitramur itaqve nec Salomo-  
 nem legem Dei eo transgressum  
 fuisse, quod de rebus quibusdam  
 prore nata inevitabilibus, quæ in  
 commercium venirent, cum Hi-  
 ramo pactus fuit: maxime quum  
 de nullo auxilio adversus hostes  
 mutuo præstando, vel ut hodie  
 loqui amant, de fœdere offensi-  
 vo aut defensivo, inter eos con-  
 ventum fuisse legatur. Verum  
 eo magis Salomo in hoc laudā-  
 dus, quod non adeo ob com-  
 modum privatum, quam nego-  
 til publici, a Deo sibi injuncti,  
 tanto commodius exsequendā  
 causa, fœdus hoc cum Hiramō  
 fan-

lanxisset. Necessitas vicissim domestica Hiramum hoc facere impulit. Tyrus enim, etiamsi celeberrimum tunc temporis Phœniciaë emporium, ob angustiam soli, in suum alimentum, aliorum necesse habuit implorare opem. Merito ergo factum hoc Salomonis vitio liberamus; siquidem nec adeo ab idololatria periculum fuit in fœdere hoc commerciorum, quum ministri Salomonis tum operas in Libano dirigerent, tum classiariis præfecti fuisse videantur. Probabile præterea est ex egregia Hiramii confessione de Deo, non alieno eum fuisse animo a vera religione, quam ex diutina, quæ illi cum Davide & Salomone intercessit, amicitia hausit.

§. VIII.

**P**orro ut de moralitate fœderis Salo-



Salomonei & Hiramitici altius ex fundamento juris naturalis aliquid disquiratur, e re esse nostra videtur. Nemo est, qui forte ignoret rationem plurimum statuum postulare id, ut diversæ gētes commercio se misceant, de liberaque facultate commeandi & merces ultro citroque conveyendi contrahant. In id enim civitati apprime incumbendum, ut de subsidiis ad conservationem civium conducentibus definiat. In qua utramque fere paginam faciunt commercia. Citra ea enim, si non adeo labasci, ingenti tamen malo domestico deprehendes vexari civitates: aut sentient intra se mercium necessariorum intolerabilem penuriam; aut ita artium rudes moribusque cives facile invenies inexcultos, ut convictui hominum sint graves & inepti. Tan-

ta incommoda intermissio commerciorum, quantas frequens eorundem cultura importat utilitates. Belli itaque ac pacis temporibus horum maxima habenda cura. Verum cum hæc non feliciter procedant, nisi amicitiam sibi pariant cum aliis gentibus, a quibus merces invehendæ sunt: ideoque de eorundem libero usu cum exteris fœdere aut alia quapiam ratione conveniant, necesse est. Quidam, licet coryphæi scientiarum, & inter illos præcipue Grotius (p), contendunt, nemini esse jus impediendi, quo minus quæque gens commercium cum quaque gente seposita colat, quum id permitti societatis humanæ intersit: humanitatis quoque officium esse, cuivis libenter indulgere, ut ea sibi comparet pretio

(p) J. B. U P. l. 2, c. 2, §. 13.

rio, opera, permutatione, alio-  
 que licito contractu, quæ vi-  
 tam hancce commodiore appa-  
 ratu instruunt: quod nemo im-  
 pediet vel lege lata vel conspira-  
 tione illicita. Præterquam enim  
 quod insigne ex commerciis o-  
 mnes populi capiunt bonum,  
 quippe quæ velut parsimoniam  
 telluris, non ubique omnium æ-  
 que feracis, suppleant; inhuma-  
 num valde esse, terrigenam vel-  
 le invidere alteri usum eorum  
 bonorum, quæ communis omni-  
 um parens abunde profudit, ubi  
 per eundem nostrum jus, quod  
 ad ista peculiariter quæsi-  
 vimus, non redditur deterius (q). Cete-  
 rum, ut inuimus, malignitas  
 plurimorum tanta est, ut justam  
 rerum etiam maxime necessa-  
 riarum acquisitionem vix tuto  
 nobis polliceri liberam queamus,

C

nisi

(q) Puff. I. N. U. G. l. 3. c. 3. §. II.

nisi sit ictiori accedente vinculo,  
 quod pacta & fœdera injiciunt.  
 Quarum rerum usum ab aliis le-  
 gitime desiderandi quum natura  
 ipsa necessitatem nobis imposue-  
 rit: æquum est, ut subsidia si-  
 mul easdem rite acquirendi fece-  
 rit legitima. Præterea simplici-  
 ter & directe jus naturæ eo non  
 violatur, si cum aliis res ad lu-  
 xuriam ac delicias facientes com-  
 municare nolimus: aut si dene-  
 gemus ejusmodi res, sive ad e-  
 molumentum, sive decus nostrum  
 pertineant, ex quarum continua  
 devectione magnum in nos olim  
 redundabit damnum. Nemo er-  
 go indecorum & inconueniens  
 censeat, cum quibuscunq; popu-  
 lis nostra interest, certo pacto  
 conuenire, majoris securitatis er-  
 go, de mutuo eoque libero com-  
 mercio. Ceteroquin enim ma-  
 gnam rerum suarum jacturâ no-  
 stri

Ari cives facere possent, si gens  
 ista merces suas & facultatem  
 commeandi nobis denegaret (r).  
 Unde facile qualitas fœderis Sa-  
 lomonei & Hiramitici apparet.  
 Res namque, quæ inter hosce  
 in commercium venerunt, &  
 quas Salomo expetiit, magnam  
 partem ad splendorem, non ad  
 vitam sustentandam fuere. De-  
 nique si disciplinam Hebræorum  
 audimus, nefas sibi fuisse ajunt,  
 permittere accessum exteris, ne  
 casu quidem illic agentibus, aut  
 mercaturæ gratia commeantibus:  
 quibus ne per terram quidem  
 transeundum fas fuisse putant,  
 nisi recepissent præcepta illa, quæ  
 Noachidis essent imperata (s).  
 Cur etiam in majorem rei fidem,

C 2

pacto

(r) *Budd. philos. pract. part. 3.*  
*e. 5. Sect. 8. §. 10.* (s) *Halach. A-*  
*boda Zara c. 10. ap. Seld. de I. N.*  
*et G. l. 2. c. 3.*

pacto de eadem statuere iis necesse fuit.

§, IX.

**N**ON displicere cuiquam opinamur, si brevi ad nostrum hoc ævum digressionem factam, quaestionem, quid de foederibus gentium diversæ religionis, Christianorum præsertim cum populis a Christi sacris alienis, sit sentiendum, movemus. Non diffitendum arbitrator, quin singulæ respUBLICÆ, singula regna & imperia, utcunque potentia & valida, utcunque bene constituta & ordinata, sua adhuc laborarent infirmitate: adeo ut exterorum amicitiam & foedus, & quæ illa comitantur, indubitatam opem & auxilium, præ necessitate domestica rogare sæpe cogantur. Quædam enim premuntur penuria rerum necessariorum, summo tuo periculo extra



tra limites regni quærendarum: quibusdam pro securitate civili non satis cautum est: quædam etiam ita arcte circumscripta reperies, ut ne primæ quidem irruptioni repagulum objiciendi, ne dicam propulsandi eandem, facultas sit: quædam denique, ut ut armis & opibus maxime instructa, satis sibi constare posse videantur; verum aliorum invidia & plurium conspiratione sæpenumero in angustias ita adiguntur, ut ruinæ sint proxima. Unde manifestum est, nulla imperia aut republicas diu perennaturas esse, nisi fœdere & arctiori quodam amicitia vinculo inter se viciniore, aut pro re nata etiam remotiores, jungantur. Hinc fœderum necessitatem res ipsa etiamnum svadere videtur. Ideoque omnis ævi experientia edocet, quasvis res-  
 pub-



publicas, quosvis imperantes, pro prudentia sua magis magisque aliorum affectasse amicitiam fœdusque. Verum ex adverso in fœderibus, societati alioquin tam necessariis, in primis pro securitate expetitis, rara solet esse fides atque constantia. Ita & hodie propemodum pactis & fœderibus luditur, ut pueri solent astragalis, ubi variis ea cavillationibus eluduntur, quavis arte & machina subdole pervertuntur, & aperta haud raro temerantur perfidia. Ubi enim res socii successu aliquo auctas limis fœderati intuentur oculis; mox deprehendes subtractionem diu promissarum, si necessitas exigeret, suppeticarum; mox eandem cum hostibus audies inflari tibi-am, & in fœderati cladem exitiumque conjurari. Fœderatis minus validis, videbis a potentiori-

tioribus varie illudī, eos ener-  
 vari, & si fors tulerit, sub ju-  
 gum mitti. Tam fluxa & in-  
 stabilia non solum aliarum gen-  
 tium, sed etiam earum sæpe, quæ  
 Christi nomen præ se ferunt, fœ-  
 dera esse, quotidiana exempla  
 nobis ob oculos ponunt. Ideo-  
 que prudentia eam hic suggerit  
 cautionem, quantum possibile,  
 vitanda esse fœdera atque con-  
 junctiones gentium perfidiæ ta-  
 ma insignium, cujuscunque sint  
 religionis: sed tutius cum illis,  
 quæ bonæ fidei nota longo tem-  
 pore celebres fuerunt, quamcun-  
 que profiteantur religionem, san-  
 ciri. Quid fiat in hac re, expe-  
 rimur: quid fieri fas sit, quæri-  
 tur. Si de *fœderibus commerciorum,*  
*nec non securitatis mutua,* sive  
*non ledendi invicem gratia,* iētis  
 fermo est: nullum est dubium,  
 quin ut olim Salomoni, ita nunc  
 nobis

nobis cum populis diversæ, etiam profanæ religionis, ea sint licita, modo omnis sacrorum temeratio, & morum profanorum contagio caveatur. Ceterum de *fœderibus armorum*, seu de *auxiliis mutuo præstandis adversus hostes*, gravior est quæstio. Iustam armorum causam omnino supponimus. Si sacram consulimus historiam, hæc populi Dei cum alienis gentibus fœdera non magnopere commendari videntur: quæ res, si in illo versaremur foro, altius posset evolvi. Nunc, quid naturalis hæc suggerat ratio, videbimus. Illa utique nihil, quod hæc fœdera dissuadeat, apprehendit. Si enim eadem nulli seductioni aut fraudi destinata sint religioni; verum justam a vi injusta vindicationem, & communem spectent tranquillitatem: cum quibuslibet gentibus

ea pangere, haud illicitum cen-  
 tebit. Quia, ut verbis utar sæ-  
 pe laudati Buddei (\*), ut cum o-  
 mnibus hominibus, quorum commodis  
 promovere, aut a quibus commodum  
 percipere non est nefas, fœdera recte  
 percutiuntur: ergo & cum illis, qui  
 a vera religione sunt alieni, ea ini-  
 ne licebit, cum nulla lege prohibea-  
 mur, aut commoda illorum promo-  
 vere, aut ab iis commodum percipe-  
 re, modo caveatur ne eo infideli vi-  
 re, veritati & religioni struantur.  
 Diversitas enim religionis non tollit  
 per se communionem juris naturalis.  
 Unde & nulla obstat ratio, quin  
 veræ religionis cultores cum po-  
 pulis diversæ & protanæ religio-  
 nis sine crimine fœdus ferire, e-  
 orumque ope etiam adversus  
 gentes, Christi quidem nomen  
 professas, sed manifesta fraude  
 & vi infames, earumque ini-  
 quos insultus, uti possint. Ius  
 enim

enim ipsum favet fœderibus, quibus alieni in causa justa sublevantur. Quæ tamen fœdera ad communitatem belli, scil. ut auxilia reapse præstentur, tum demum procedant, cum summa ingruit necessitas, hostiumq; iniquissima urget crudelitas, nec alia se offert ratio evadendi. Pluribus de fœdere christianorum cum gentibus non christianis disputans, conferatur clarissimus Hlogæus (u).

## §. X.

Fœdera quidem, ut stipulationes mutux, in se proprie firma & stabilia sint, oportet, cum fidem datam violare ubiq; sit nefas. Verum tamen ob fluctuationem levitatemque mentis & vagam hominum fidem, moris

(u) Karla Segerstiöld part. 2. cap. ultim.

ris antiqui fuit, qui etiamnum forte apud plerosque viget, percutiendis fœderibus connectere ritus & signa externa, quo magis rata haberentur, religiosiusque fervarentur. Libet itaque pauca coronidis loco de iisdem heic adjicere. Ne jam de jurjurandi religione, sacro illo omni ætate fœderum vinculo, multa moneamus: præcipuus primis post diluvium temporibus receptus fuit inter homines ritus in sanciendo confirmandisque fœderibus, ut adhiberentur sacrificia, quæ sigilla fœderis essent; & animalia, nempe vituli, boves, capræ & arietes, quæ mactabantur & in sacrificium offerebantur, dissecarentur media, & quo loco sacra fiebant, ita ordinarentur, ut sibi utrinque posita responderent: inter partes enim cælarum victimarum iis, qui fœ-

dus



dus icebant, transeundum erat,  
 ut sanctius in unum corpus coalescerent. Fœdus vero si violarent & fidem datam fallerent, dignos morte decernebant, velut victimas cæsas dividendos ac dissecandos. Hoc sollemni ritu, apud homines eo tempore valido, usus fuit etiam Deus, quum fœdus cum Abrahamo iniret, Gen. 15: 9. 10. Quem etiam morem postea retentum fuisse eruitur ex Jer. 34: 18. 19. Hinc & usu invaluit illa Hebræorum phrasid *עָרַבְתִּי אֶת הַבְּרִית* *cedere, percutere fœdus*. Pares quoque propemodum cærimonias Romanos usurpasse in sanctione fœderis, probabile est. Cum enim Tullus Hostilius rex Romanorum & Metius Suffetius rex Albanorum in compendium misissent bellum, quo nationes hæ invicem districtæ fuere, tergeminis hinc atque inde fratribus.



buis, aleam Martis tentantibus, utriusque populi fata permisere. Antequam vero hi juvenes certamen subirent, in fœdus Romani & Albani his transiere conditionibus: quæ pars victas daret manus, eadem pacifice sine omni refragatione alius se subiceret imperio. Actu itaque fœderis consummato, ejusque articulis, quos utrinq; pie susceperant servandos, exclamatis, fetialis porcæ lapide silice ferivit, cum adposita precatone, ut per quem populum fieret, quo minus staretur fœderis legibus, eum ita percuteret Jupiter, quemadmodum fetialis ferivit porcæ (w). Sic & *Homerus* *Iliad.* γ. pulcre depingit fœdus inter Trojanos Græcosq; jugulatis agnis & vino fuso ictum, addita hac imprecatone:

Ὅταν ὀλέεσθαι πέσθαι ὑπὲρ ὄρουα πημύνησιν,

ῥ

(w) *Liv* l. 1. dec. 1.

Ω δέ σφ' ἐγκέφαλῳ χαμάδες ῥέοι, ὡς  
ὅδε οἶνῳ.

*Utri priores contra fœdera noxam intulerint, sic ipsorum cerebrum in terram fluat, sicut hoc vinum.* Antiquissimas etiam cœrimonias in eundi fœderis obseruarunt Latinus & Æneas (x) Postquam prolixis contestationibus atq; dictis inter se firmassent fœdus, tum probatas & rite sacratas jugularunt pecudes, eisq; palpitantia & adhuc spirantia raptim evulsere exta, quæ lancibus in aras conjiciebantur. Similes fœderis ritus, ut lapis erat, fetialis manu in terram decussus, e Polybio, aliisque facile reperire est. Præterea etiam majoris religionis causa fanciendis fœderibus noui jusjurandum modo, ut dictum est, adhibebatur; sed etiam scriptio: literis enim, sicut & hodie in usu est

(x) *ap. Virgil. l. 12. Æneid.*

est, articulos & momenta fœderis mandarunt, eademque obfirmarunt. Nec convivia & munerationes ea occasione ad augendam fœderum sanctitatem negligebantur. Ad fœditragorum quod attinet pœnam, ultimam & gravissimam ex merito in hos statuebant gentes: præterquam quod Deus ipse severissime in hos omni ætate animadvertere est solitus. Sic Deus tribus añis dirissima fame terram Israël punivit, innocentiamq; Gibeonitarum nece posterorum Saulis ulciscendam voluit, propterea quod Saul Gibeonitas variis peteret vexationibus, & fidei a Josua & senioribus datæ atq; juratæ religionem temeraret, 2. Sam. 2. Ita Metius Suffetius exsolvit debitas pœnas perfidiæ suæ, qui Fidenate bello cum suis, vi fœderis Tullo suppetias venturus, in ipso

iplo congressu se subduxit. Hunc  
 Tubus, hoste victo, raptorem  
 foederis inter duos currus religa-  
 tum, pernicious equis distrahen-  
 dum curavit (y). Ut taceam hor-  
 rendum id in omnium ore exem-  
 plum Vladislai regis Ungariæ &  
 Poloniæ, qui decem annorum  
 inducias cum Amurathe Turca  
 pactas, a papicolis delusus, dis-  
 solvit. Hunc non longe post in  
 pugna Varnaviensi Amurathes  
 vita spoliavit, in promeritam  
 perjuri vindictam. Non ergo  
 temere quisquam a foederibus re-  
 siliat: quanquam plurimi, impi-  
 etati prudentiæ nomen, si præ-  
 textu rationis status foedera fran-  
 gant, prætendunt.

### §. XI.

**M**ulta quidem adhuc deside-  
 rantur, quæ illustrandæ sub-  
 stratæ

(y) *Lib. 1. c. Lucius Annaeus Flo-  
 rus 1. . c. 3.*

stratæ materiæ apponi deberent. Ast cum curta nimiumq; quantū accisa ingenii & rerum supellex animum scripturientem sufflamine suo retardent; filum laborum heic abrumpimus, & B. L. iterum iterumq; rogamus, velit operam nostram qualemcunque pro candore suo benigne interpretari, licet non omnia iusto rationis pondere trutinata, aut concinē & polite dicta reperiatur. De cetero Te, æterne Deus, cernui colimus & veneramur; Te, qui æterno scedere nobis, qui extrema scæx & amurca mundi sumus, cavisti de bonis spiritualibus & corporalibus, nos calidis imploramus suspiriis, ut ad pacem & mutuam concordiam animos singulorum, in primis vero ipsorum, penes quos summum in terris imperium est, flectere, & nos ab ejusmodi scederatorum

associatione velis arcere, qui amicitiam quidem & fidem sermone suo belle simulant, hostilia vero in animo agitant. Firma, o Domine Deus, fœdera pro libertate patriæ & emolumento inita, ut in Tui nominis gloriam tendentia perpetuum rata & inconcussa maneât. Firma etiam atq; corrobora Regem nostrum Clementissimum ita, ut tam vicini, quam remotiores, potentia Majestatisque illius fulgore perculsi, semper ducant iustissimum, pacis & amicitiaæ fœdus sartum retum servare: & nobis in pace & tranquillitate æternum liceat concinere:

*Gloria in excelsis DEO.*



Dexterrimo Dn. Auctori.

Amico in Paucis caro, brevibus sed  
sincere accino festinanter.

**D**um Tua crena, Mi comes, ampla  
Intime Musis, Portio cordis,  
Fœdera sistit Ut Tibi cedant  
Quæ Salomonem Suaviter anni,  
Inter & Hiram Astripotensque  
Sancta fuerunt: Præmia certa  
Et mihi docta Det Tibi præpes,  
Rite Minervæ Largus Apollo  
Indolis atque Inmemor haud sit  
Dat documenta; Nempe laboris:  
Mens mea mille Sed Tua Daphne,  
Gaudia captat, Quam veneraris,  
Nec sibi jamjam Casta, sequendo  
Temperat illa, Te pede presso,  
Quo minus alto Tempora lambat:  
Pectore prodat Et caput aptet  
Dogma paranti Musa novena  
Promere pulchrum. Sancta corollis.  
Apprecor imi.

Gust. Polviander.



Eidem.

**F**ortune variis agitamus casibus  
arctæ

Ejus & arbitrio per sepe urgemur in-  
iquo.

Hoc satis expertus bene nosti, Fra:er  
amande,

Tristia nam puerum Te orbarunt fata  
parente.

Gratulor ast animum tanto superesse  
labori,

Ad Musas promptum tibi. Posthac, au-  
guror inde

Laurea tam gnavo pugili neçtetur a-  
mana.

Macte itaque esto & vivito felix tem-  
pore longo.

Sic, festinabundus LMqz  
apposuit.

Mich. Wanonius.

*Pereximio atque ornatissimo*  
Dn. JOHANNI HACKS,  
*amico suo dilectissimo.*

**Q**uanta ex eo temporis articulo fuerim voluptate & letitia perfusus, cum te, Domine Hacks, hunc felicitis ingenii tui factum divulgatum intelligerem, dici sane vix potest: unde & factum, ut non potuerim pretermittere, quin affectum in te meum publica gratulatione testatum facerem. Factum in hac laudatissima disputatione dum monstras, mi Hacks, cum hominibus diversa religionis iniri omnino licitum esse, eo ipso valde gaudeo, te satis superque pactorum vim, naturam ac obligationem familiarem tibi reddidisse, teque non sublimis solum attingisse scientias philosophicas, verum etiam vera oracula, qua presentis tibi ministrarunt materiem dissertationis, assidua manu tridisse. Querant alii summum bonum in terrenis, expleantq; desideria sua varia rerum

rerum hujus evi meditatione; te gaudeo animum ad sacrarum litterarum lectionem adplicuisse, ut inde bonum colligeres thesaurum, jucundamque animi requiem. Non itaque tu ille es, qui horas tuas male collocaveris; verum qui spem omnibus bonis feceris certissimam, fore, ut industria tua insigne emolumentum & decus patrie aliquando conciliare valeat. Perge igitur viam arduam, quam tibi laudabiliter proposuisti, cernere, quo fiat, ut, cum Deo & die, fructus laborum accepturus sis jucundissimos. Ego cœli terræq; moderatorem, D: T: O: M: precibus nullo non tempore fastigabo, velit, fata tua regere in nominis sui gloriam, reipublice salutem, omniumque amicorum gaudium ac jucunditatem.

Ita Gratulatur.

Gabriel J. Collin.

Satac, Finland.